

❁ (o) ❁

PRÆFATIO.

I

Cum non sit ultimus in Philosophia locus investigatio animi humani, eorumque, ex quibus indoles hominum singulorum, mores item ac rerum successus feliciores infaustioresque, proficiscuntur, principiorum; tum ad probe cognoscendum se, aliosque juxta se homines, apprime necessarius deprehenditur. Cuius auxilio, ut via nobis ad intimiores sapientiæ humanæ aditus sternitur; ita eiusdem ignorantia hæere atque impediri veritatis studiosos quotidie observamus. Igitur & iucunditatem & amplitudinem huius loci admirandam, nexum præterea cum universa corporum spirituumque regno amplissimum, contemplans animo; nunquam non natura quasi ipsa invitatus fui, qui aliquam studii mei partem in colenda tam egregia & præstantissima materia ponerem: adeo, ut publicum quaecumque studiorum in Gymnasio usque adhuc pertractatorum specimen editurus, idoneam vel maxime illam disserendi materiam duxerim, quæ de cognoscendis temperamentis, deque *indole optimi principis & magistratus* præcipit: ubi quidem *de temperamentis & indole hominum in universum*, porro *de indole Traiani Caesaris*, & demum *de optimi cuiuslibet principis vel magistratus indole* bona Lectoris venia dicturus sum.

A

Cap.